

3. Seu, quamvis possimus *imitationem* imitari, non tamen in imitatione datur progressus in infinitum, sed necessariò ad aliquam primam imitationem devenitur, quæ aliquod exemplar sive imitabile præsupponit, tale enim nisi detur, nulla unquam erit imitatio, adeoque nec imitationis imitatio.

4. Et hoc est quod omnes agnoscunt in trito isto effato: *scientia præsupponit objectum*, sive, ubi nullum est scibile, ibi nec potest esse scientia. Videtur huc etiam spectare illud Philosophi initio sext. *¶. scientia scientiæ reflexæ, per quam sciat se scire, iterumque se scire se scire, atque ita in infinitum de nulla unquam re haberi potest.* Res absolutè loquendo fuerunt ante signa rerum & si non tempore, certè naturâ hæc illis sunt posteriora. Pro-reges, pro-consules, vicarii, locum tenentes non essent neque nominarentur, nisi reges, consules & alii principales essent ac nominarentur, quorum vice & loco illi forent.

5. Itaque contradictionem implicat, in ideis hoc est rerum imaginibus & vicariis in mente nostra dari progressum in infinitum hoc est non perveniri ad rem imaginis